DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIABETE.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DIABETE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PATRICIUS ERSKINE,

SCOTO-BRITANNUS:

QUARTÆ CIVICÆ SCOTORUM MILITIÆ COHORTIS

CHIRURGUS;

SOCIET. MEDIC. REG. EDIN. SOC. EXTR.

ET NUPER PRÆSES ANNUUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

MDCCCI.

CAROLO GULIELMO

DE DALKEITH

COMITI,

VIRO

NON SOLUM

ANTIQUITATE GENERIS

NOBILI,

ET

LITERIS HUMANIORIBUS

ORNATO,

SED ETIAM

CIVITATIS CIVIUMQUE UTILITATIS

STUDIOSISSIMO,

HANC DISPUTATIONEM,

PEREXIGUUM

ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

SIGNUM,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. CQUE

PATRICIUS ERSKINE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIABETE.

HIC morbus cepit nomen ex nimia profusione urinæ, quo præcipuè signo cognoscitur; eo enim affecti plerumque urinam, super potionum modum, mingunt.

Cullen, classe *neurosium, spasmorum* ordine, *diabeten* collocavit; atque in duas divisit species, pro natura urinæ, quæ mingitur.

 Unâ

Unâ ſpecie laborantium urina ſubdulcis eſt; atque, vice partium, quæ eam ſanorum hominum conſtituunt, continet, utì periculo compertum eſt, plus minus materiæ, quæ, cùm guſtu, tum partibus conſtituentibus, ſaccharum refert, quo quotidie utimur.

Alterâ autem ſpecie, urina dicitur, coloris, pariter ac ſaporis, expers, ſicut ea, quam reddunt *hyſtericæ* mulieres; neque à ſana urina differt, niſi quòd tenuior eſt et dilutior.

In hac diſputatione, mihi in animo eſt, de prima tantùm ſpecie dicere, quæ, ex urinæ dulcedine, *mellita* appellatur; eòque magìs, quòd dubium eſt, an altera ſpecies, quam *inſipidam* nominat Cullen, ſit, necne, *idiopathica*. Haud tamen negandum eſt, quin nonnulli *diabete* tabuerint, quorum urina guſtatu non dulcis erat. At veriſimillimum tamen eſt, eorum urinæ aut ſaccharum infuiſſe, aut aliquid ſaccharo ſimile, utì fortaſſe comprobâſſent experimenta. Namque, *diabetici*,

ci, cujus hiſtoriam tradit PEARSON, urina, quanquam plerumque non dulcis, per totum tamen morbum continebat materiam, quæ aceſcebat.

SIGNA.

SIGNA.

Confirmatam *diabeten* indicant, nimia urinæ, plerumque ſubdulcis, profuſio; inexplebilis ſitis; venter vorax; ſicca et ſquamoſa cutis; debilitas totius corporis, et macies.

Hic morbus plerumque pedetentim obrepit et inſidioſè; neque profectò vero abſimile eſt, aliquandiu antè incipere et increſcere, quàm, quid ei ſit mali, æger ſuſpicatur.

Primum plerumque malum, quod metum injicit, ſitis inſolita eſt. Eodem ferè tempore, urina nedum ſolitò copioſior eſt, ſed etiam, tam odore quàm ſapore, à ſana differt. Simul perpetua ferme edendi rabies eſt; atque ſtoma-

chus

chus ſubinde cruciatur, ſicuti fame ſtimulatus.

Haud ita multò pòſt, hæc mala ingraveſcunt. Urina copioſiùs adhuc profluit. Nec ſitis expleri, nec fames, poteſt. Aret pellis, ſicuti ſquamis cooperta. Defluunt pili. Paulatim fugiunt vires. Albida nonnunquam lingua eſt, et lentâ pituitâ illita; ſed ſæpius rubore ſuffuſa. Gingivæ molles ſunt, et ſpongioſæ. Stupefiunt dentes. Spiritus acidum redolet. Saliva etiam ſubdulcis eſſe dicitur. Aret plerumque os, arentque fauces. Atque æger dolore quodam et ardore circa præcordia angitur: de dolore etiam lumborum et renum ſubinde conqueritur. Tardeſcit plerumque venter. Animus ad movendum facilis eſt, et plerumque demittitur.

Increſcente morbo, *hectica* ſupervenit. Arteriarum motus, morbi initio ferè naturales, nunc ſupra modum concitantur. Adveſperaſcente

perascente die, incalescunt palmæ manuum, pedumque plantæ. Atque summa nonnunquam cutis manat sudore, qui, pariter atque oris halitus, acidum olet.

Morbo inveterato, his malis accedunt ea, quæ totius corporis debilitate nascuntur; aqua, nempe, intercus, aliæve hydropis species; neque tamen, his subsequentibus, levantur cætera, quæ memoravimus.

Urinæ nunc desiderium frequentius fit frequentiusque, donec urinæ demum prorsùs incontinens fiat vesica. Vice edendi rabiei, defectus stomachi est, et urinæ dotes morbi propriæ evanescere dicuntur. Interdiu vires noctuque defluunt. Æger adeò marcescit, ut ossa atque pellis totus fiat, lentâque demum morte consumatur.

Diabetes aliâ aliàs longinquitate est. Interdum, plures in annos, porrigitur. Interdum, intra paucas hebdomadas, finitur.

Signis

Signis communiter memoratis, haud alienum erit, quædam ſeparatiùs, hìc loci, adjungere de urinâ, quæ, hoc in morbo, tantùm à ſana deſcivit.

Urina, etiamſi ſupra potionum modum profluat, tamen hunc non æquè excedit in omnibus ægris. Nonnulli, viginti quatuor horis, urinam profundunt, quanta quadraginta libras pondere æquat; alii, quanta ſex tantùm ſeptemve.

Diabeticorum urina, id ſanè quod mirum eſt, nonnunquam cùm potulentorum tum eſculentorum modum excedit. Ita eſſe, nonnulli haud ita pridem ſubnegârunt; atque contenderunt, urinam ne quidem ſupra potionum modum eſſe, dummodo hæ pondere accuratè æſtimentur.

Sed, nihil in medicinæ annalibus clariùs conſtat, quàm *diabete* tabentium urinam, interdum longum in tempus, ingeſtis et liqui-

dis

dis et ſolidis, quæ ſenſibus percipiantur, graviorem eſſe.

Verùm confitendum tamen eſt, ex cognitis iis, quæ, de hac re, medici animadverterunt, veriſimillimum eſſe, urinam *diabeticorum* nunquam hæc, quæ aſſumuntur, tantò excedere, quantò nonnulli medicorum crediderunt; ſed multò ſæpius aſſumptas potiones æquare.

Animi affectiones inſigniter urinæ profluvium variare videntur. Ita, ſiquando animus, præter ſolitum, ſit triſtis et dimiſſus, ſicut his ægris ſæpe accidit, urina pari ferè paſſu copioſior redditur. Hoc, quod à RUTHERFORD ſæpius obſervatum accepimus, hiſtoriis quibuſdam apud auctores confirmatur.

Sed nobis conſiderandum eſt, non ſolùm quanta ſit urina, ſed etiam qualis. Pluris enim intereſt, qualitates ejus ſcire, quàm copiam: nam, utì non omnis, qui nimiam urinam profundit, *diabeticus* eſt, ita probabile

eſt,

eſt, non omnem *diabeticum*, per totum morbum, nimiam urinam profundere: at omnibus *diabeticis* commune eſt, urinam reddere, qualitatibus ei ſani hominis abſimilem; neque alio profectò ſigno ullo tam certò cognoſcitur, quo morbo tabeſcant.

Nullus urinæ color conſtans et perpetuus eſt; ideoque huic nimiùm credere, medici nunquam debent. Aliquando coloris ferme expers eſt. Plerumque verò melina eſt, aquæ enimverò concolor, quacum commixtum mel ſit. Verùm, etiamſi alius ei aliàs color ſit, cæteris tamen proprietatibus ferè ſemper eadem eſt. Guſtatu ſubdulcis; violas ſubolet. Oleaceus interdum liquor ei ſupernatans conſpicitur.

Chemici, urinâ *diabeticorum* pertentatâ, novitatem rerum ei propriam perſpexerunt. Urina ſana, ut jampridem compertum eſt, continet, præter varia alia, materiam ei propriam, quâ à cæteris humoribus dignoſcitur. Hanc, *extractivam* olim appellatam, dudum

uream rectiùs nominârunt *chemici* GALLICI, qui, eam penitùs periclitati accuratiſſimèque, perceperunt, quibuſdam proprietatibus differre ab omni alia materia, quæ in animalium corporibus ingeneretur.

Has autem proprietates deſcribere, à re noſtra alienum eſſet. Ad rem verò pertinebit, memorare, *uream* eam urinæ eſſe partem, ex qua provenit et ejus odor atque ſapor, quæque materiâ albuminoſâ commiſta, citò in putredinem abit, et dein, calore applicato, magnam vim *ammoniæ*, emittit.

Urinæ, tam valentium quàm ægrorum, alia *ureæ* aliàs copia ineſt. Urinæ crudæ, qualem profundunt mulieres, quæ in eo ſunt, ut *hyſteriâ* corripiantur, ineſt *urea* ferè nulla, vel ſaltem exiguiſſima. In ea præſertim urina abundat, quæ, quippe quia aliquot horas, post cibos et potus aſſumptos, mingitur, *CONCOCTA* appellatur.

Diabeticorum

Diabeticorum urina, aut nullam *uream* continet, aut duntaxat perexiguam; at ſemper naturam, ei prorſùs diſſimilem, quæ, utì ſuprà diximus, cùm ſapore tum cæteris qualitatibus ſaccharum refert.

Dulcis hæc materia, vaporatâ urinâ, reſidua eſt, at aliàs aliâ copiâ. Duodecimam nonnunquam etiam amplius partem vaporatæ urinæ æquat. Quo gravior morbus urget, eo plerumque copioſior eſt, eoque meracior. Remittente autem morbo, parcior eſt, atque urina eam ſani hominis magis ſimulat.

Reſidua *diabeticorum* urinæ materia non ſolùm guſtu et aſpectu ſaccharo ſimilis eſt, ſed variis etiam proprietatibus *chemicis*. Ex ea enim Cruikshanks, *acido nitroſo* affuſo, *acidum oxalicum* diſſociavit, quod, utì contendit, ab *urea* ſeparari non poteſt. Ejuſdem reſidui aliquid, cui minorem ejuſdem acidi copiam admiſcuerat, in liquorem abivit,

quem

quem nemo, undè paratus eſſet ignarus, à melle diſcernere potuiſſet.

Ex his deduci poteſt, materiam quandam *vegetabilem* urinæ *diabeticorum* ineſſe; quod ſanè clariùs adhuc patet ex mutationibus, quas hæc ſponte ſubit. Non enim, ſicut ſanorum urina, putreſcit, et vapores ammoniacos exhalat; ſed ſenſim in humorem *acetoſum* abit, aut, addito fermento idoneo, *vinoſam fermentationem* ſubit, ſicut plantarum ſucci, qui ſaccharo abundant.

Diabeticorum urina, quamvis non dulcis guſtatu ſit, has tamen mutationes, ut PEARSON habemus auctorem, ſubit; id ſanè, quod comprobat, malum habitum *diabeticorum* urinæ ineſſe poſſe, etiamſi guſtatu percipi nequeat.

Perinſignia urinæ vitia, quæ notavimus, *diabeticis* propria ſunt, et fortaſſe communia. In aliis autem alia gradu ſunt; neque, enimvero,

vero, raro, in eodem, leviſſimis cauſis gradu variantur.

Nondum verò periclitatione perceperunt medici, quantùm *diabeticorum* urina, ab ea ſanorum, cæteroquin diſſerat. Eſt autem, quarè opinemur, dum ſales pauciores parcioresve continet, albumine vel *gelatiná* abundare; ſicut urina omnium, qui, præ ſtomachi invaletudine, alimentum benè concoquere nequeunt.

Dum perurget *diabetes*, alii itidem humores, à ſanguine ſecreti, alienas ſibi qualitates acquirunt: acidum enim perolet ſudor, ſaliva ſubdulceſcit.

Ipſe quidem ſanguis *diabeticorum* quandam pravitatem capere videtur. Sed, cùm nondum pertentando compererint *chemici*, quæ hæc pravitas ſit, qualisve, de ea accuratè dicere non poſſumus.

Dobson, qui primus, quantùm ſcimus, ad *diabeticorum* ſanguinem animum attendit, ſerum, ut exiſtimavit, ſubdulce reperit. Hæc

verò

verò de re, ſe fefelliſſe videtur; nam, præter eum, nemo, certè perpauci, ſeri dulcedinem hactenus percipere potuerunt. Idem, porrò, auctor dicit, ſerum, quod pertentavit, colore lacteum fuiſſe; atque, quatenus judicare poterant oculi, ſero coagulati lactis perſimile.

Sanguinis, quem periclitatus eſt ROLLO, ſerum ei prorſùs convenit, quod deſcripſit DOBSON, neque inſuper ſapore multùm differebat ab eo lactis coacti, cui plus juſto coaguli inditum ſit.

Diabete maceſcentium ſanguis, ab eo ſanorum, hoc maximè differt, quòd ægrè tardèque putreſcit. Hoc morbo tabeſcentis, quem literarum memoriæ conſignavit ROLLO, ſanguis, post ſexdecim dies nihildum ferè vitii ceperat; quamvis is ex ſano homine detractus, iiſdemque per omnia commiſſus, dimidio minus tempore, imputruiſſet.

Quanquam, his cognitis, nihil, pro certo, concludere poſſumus, de *diabeticorum* ſanguinis

nis principiis; ſatìs tamen apparet, hæc non ſolùm naturâ et affinitatibus *chemicis* ab iis ſanorum ſanguini communibus diſcrepare, ſed etiam abundare intermiſtâ copiâ haud exiguâ alienæ materiæ *vegetabilis* naturæ.

CADA-

CADAVERUM INSPECTIO.

Patefacta hactenus cadavera obscuram *diabetæ* naturam parùm illustrârunt. Nihildum enim morbidi adeò frequenter oculis videndum sese obtulit, ut perpetuum morbi ſignum habeatur. Quæ tamen morbida obſervata ſunt, memorari debent.

Cutis haud rarò apparet solito tenuior. Adeps, ferè ex toto, abſorbetur, non ſolùm ex partibus exterioribus, ſed etiam ex iis partibus reconditis, in quibus maximè abundare ſolet. Hoc verò non perpetuum eſt; nam, in nonnullis cadaveribus, vis adipis non ſub cute modò reperitur, verùm in abdomine quoque, et thorace.

Organa,

Organa, quibus urina aut ſecernitur, aut excernitur ſecreta, morbida conſpiciuntur. Renes, ſupra conſuetudinem ſanorum, vaſculis abundant, neque raro tument et flaccent. Aliàs autem, per omnia, naturales ſunt. Meatus urinæ haud raro ampliores, quàm ex conſuetudine; interdum itidem veſica, rariſſimè urinæ fiſtula.

Ubi ſolito ampliora ſunt hæc itinera, eorum ſimul tunicæ ſunt aliquanto craſſiores. Alterutrius nonnunquam lateris ren, ſimulque urinæ meatus, morbidi ſunt; dum ii alterius lateris, ſani.

In ſtomacho et alvo, rariùs morbida conſpicamur. Aliquando tamen tunicæ non ſtomachi modò, verùm tenuiorum quoque inteſtinorum cùm craſſeſcunt ſupra conſuetudinem, tum vaſis abundant. Præterea, ſtomachus nonnunquam multò amplior eo ſani hominis invenitur.

In plerisque defunctis, *mesenterii* glandulæ plùs minùs tument et durescunt. Vasa bibula spinæ etiam aliquando oculis obveniunt ampliora, quàm ex consuetudine.

Non ita pridem, qui cadavera *diabeticorum* ipso consilio incidebant, ut morbi naturam indagarent et cognoscerent, solas ferè partes rimari solebant in abdomine positas, at eas maximè, quibus secernitur excerniturque urina; partibus intra thoracem vel prorsùs neglectis, vel obiter tantùm et perfunctoriè exploratis.

Nuper verò, ex quo tempore vulgata est opinio, à RUTHERFORD proposita, aucti urinæ ponderis fontem, ultra ingestorum simul sumptorum pondus, in ipsis pulmonibus latere; *anatomici* attentionem, ad has partes earumque vasa *lymphatica* exploranda, converterunt. Nondum tamen adeò iteratæ sunt tales investigationes subtiliores, ut, pro certo, dicere audeamus, quales mutationes hìc perpetuò

petuò reperiendæ ſint. In cadavere *diabete* extincti, ſicuti THOMAS, *anatomicus* LONDINENSIS, refert, vaſa *lymphatica*, pulmones perreptantia, adeò ampliata viſa ſunt, ut liquorem glutinoſum, cinnabare tinctum, facillimè intromitterent. Glandulæ *bronchiales* compluries obvenerunt in conſpectum defunctorum, non tumidulæ modò, ſed fabricam quoque demutatæ.

CAUSÆ REMOTÆ.

Quibus causis oriatur *diabetes*, nondum satìs constat. Verisimile autem videtur, quandam quibusdam corporis proprietatem esse, qua apti existunt, qui hoc morbo correpti tabescant, lentâque morte consumantur. Undè verò et quæ sit hæc proprietas, prorsùs ignoramus. Nonnunquam gentilitia videtur; cùm præsertim complures, iisdem parentibus orti, *diabete* correpti fuerint.

Neque, enimvero, causæ, quæ *diabeten* concitant, meliùs cognoscuntur, quàm quæ in eum proclives mortales faciunt. Quædam illiusmodi causæ ab auctoribus memorantur, ebriositas, videlicet; potionum dilutiorum

dilutiorum intemperantia; multus eorum medicamentorum ufus, quæ urinam citant; immoderatio acidorum fructuum; atque nimietas ciborum, qui faccharo abundant.

Verùm, enimvero, an hæ caufæ, aliæve medicorum fcriptis memoratæ, *diabeten* faciant, certò fcire, in primis arduum eft. Auctores, verarum caufarum infcii, alii ad alias, retulerunt; quifque ad eas, quæ maximè confentaneæ erant opinioni, quam animo comprehenderat, de ejus natura.

Diabetes olim, utì videtur, rarior erat morbus, quàm noftris temporibus; verùm aliquantò frequentior tamen, quàm ferunt nonnulli auctores. Cùm enim nulla fiat mentio de urinæ dulcedine, notâ certè hujus morbi maximè infigni, priufquam WILLIS obfervata fua edidit, probabile eft, medicos, ante ejus tempora, haud fatìs *diabeten* ab aliis morbis diftinxiffe.

Diabetes

Diabetes homines præcipuè inferioris ſortis infeſtat ; mares pariter ac fœminas ; et cujuſcunque ferè ætatis, à pubertate ad extremam ſenectutem.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Parùm quidem, certè nondum ſatìs, *diabetæ* natura perſpecta eſt. Quicquid igitur, de ejus cauſa proxima, protulerunt auctores, pro conjectura probabili tantum habendum eſt.

Nonnulli inſigni urinæ mutatione, quæ certè inter notabiliora ſigna jure cenſetur, inducti, cauſam ex prava renum affectione ſola quæſiverunt. Talis verò cauſa minimè ad morbum gignendum ſufficere videtur, nec ejus fautores in ſuam opinionem niſi à perpaucis quidem *phænomenis*, iisque ex parte tantùm conſideratis, adduci potuiſſent. Plurima enim *diabetæ* ſigna corpus

pus universum atque ejus functiones præcipuas turbari demonstrant; et profectò haud credibile est, affectus adeò generales à causa tam singulari profluxuros esse. Quædam, nec rarò, urinæ secretionem abnormem præcedere observantur. Ita aliquando ciborum et potionum appetentia immodica sat diù perstat, et morbum jam inceptum vel incepturum esse indicat, antequam renes ullo modo afficiuntur. Præterea, non sola urina quod ad dotes mutatur, sed alii insuper corporis humores, sudor, nempe, et saliva quidem, de statu sano et naturali declinant. Imò sanguis ipse qualitatum conversiones haud minores, quamvis minùs perspectas, pati videtur; nec dubiè ex conversis ejus principiorum affinitatibus *chemicis* pendentes; et indè certè cæterorum humorum, ex hoc communi fonte et origine dimanantium, permutatio est petenda.

Perspectis

Perſpectis his, atque aliis, quæ vix opus eſt hìc memorare, quidam ſumma cum veriſimilitudine, functionum, quibus ſanguis ex alimentis perficitur, alienationem et depravationem, cauſam *diabetæ* eſſe proximam contendunt.

Cullen, qui omnium primus, quantùm ſcimus, hanc opinionem ſuggeſſit, indefinitè dixit et cautè; neque, enimvero, auſus eſt proponere, quo graduum, quibus perficiatur alimentum, vitium accidat. Dobson verò, qui, utì ferunt auctores, cum Cullen, hac de re, conſenſit, expreſſiùs dixit explanatiùsque, *diabeten chylo* in ſanguinem non benè converſo attribuendum.

Exiſtimat hic auctor, *chylo*, pariter atque lacti quocum ei ſimilitudo, ſacchari ſemper aliquid ineſſe; quod, in *diabeticis*, non, utì debet, in ſanguinem convertitur, ſed, proprietatibus integris, unà cum urina ſecernitur et mingitur.

Huic autem opinioni objiciatur, ſacchari hucuſque nihil in *chylo* detectum eſſe: ex quo utìque efficiatur, ſaccharum, ſicubi in *chylo* inſit, parcius ſaltem eſſe, quàm quod æquet copiam, quam urina ſuggerit.

De hac igitur rei noſtræ parte, nihil certò cognitum proponere poſſumus. Verùm videtur tamen, quamobrem opinemur, *diabeten* à quadam invaletudine organorum, quibus conficitur alimentum, incipere; atque pravam *chyli* naturam, indè ortam, communem eſſe fontem, undè naſcuntur plurima malorum, quæ ægri patiuntur *diabete* laborantes.

Hanc opinionem haud parùm confirmant affectiones ſtomachi et alvi, quæ *diabeten* nonnunquam antegrediuntur, ſemper comitantur.

His igitur cognitis, liceat concludere, cauſam, quæ *diabeten* continet, ſeu *proximam*, non in renum vitio latere, ſed in perver-

ſa quadam et morboſa organorum actione, quibus ſanguis ipſe *elaboratur;* undè fi , ut humor hicce vitalis, ſanitati tuendæ ineptus redditus, varias huic morbo proprias materias gignat. Quî verò et quò procedat morboſa hæc perverſio, deſiniri, adeò adhuc obſcura res eſt, nequit.

Contendunt quidem Rollo aliique, ſaccharum, quod urina præbet, formari in iis organis, quorum eſt rem alimentariam concoquere et perſicere. Nihil autem eſt, quantùm ſcimus, quod hanc opinionem confirmet. Verum quidem eſt, utì ſuprà diximus, ſanguini *diabeticorum* ineſſe aliquid naturæ *vegetabilis;* ex quo certè vero haud abſimile eſt, alienam urinæ materiem originem ducere.

Sed, his conceſſis, nequaquam licet inferre, ſaccharum, quod ſuppeditat urina, ſanguini itidem infuiſſe. Contrà, cùm nihildum ſacchari in ſanguine inventum ſit, nonne probabilius videtur, duntaxat elementa ſacchari

in

in ſanguine ineſſe, atque à horum compoſitione, dum à ſanguine ſecernuntur, ſaccharum in renibus ipſis formari; neque, profectò, ad hanc opinionem firmandam, opus eſſe, ut ullâ renes invaletudine laborarent?

Huic ſententiæ contradictum eſt, renes nihil à ſanguine ſecernere, quod non propriâ formâ ſanguini inſit. Hoc verò non ita eſſe, nunc ſatìs cognoſcimus: namque urina ſana duas ſemper continet materias, quæ, quippe quarum nullum in ſanguine exſtet veſtigium, non, niſi *proceſſu* quodam *chemico* in renibus, oriri poſſunt.

QUO-

QUORUNDAM SIGNORUM RATIO.

Signorum, quibus cognoſcitur *diabetes*, magna, ſæpe vix credibilis, urinæ vis, quæ mingitur, medicis maximè mirum viſum eſt. Plerumque, forſan, mira hujus humoris abundantia efficitur magnâ potulentorum copiâ, quam hauriunt ægri, ut importunam ſitim, qua nunquam non ardent, aliquatenus ſedent.

Haud rarò autem lotium, cùm potulentorum, tum eſculentorum, modum excedit, atque medici, alius alio fonte, abundantiam derivant. Plerique exiſtimant, inſolitam

aquæ

aquæ copiam, per vaſa bibula, quorum oſcula in ſummam cutem patent, perſorberi.

Huic ſententiæ contradici poteſt, cutem *diabete* emarceſcentium adeò aridam eſſe, ut vero abſimillimum ſit, plus ſolito aquæ perſorbere poſſe. Ex nuperrimis præterea experimentis conſtat, per cutem, vel bonâ valetudine nitidam, aut nihil omninò, aut ſaltem multò minus abſorberi, quàm medici haud pridem exiſtimabant.

Rutherford *chymiæ*, pariter et naturæ rationis, ſcientiâ præclarus, qui hunc perobſcurum morbum haud parùm illuſtravit, alium indagavit fontem, undè derivetur urinæ abundantia.

Veriſimillimum putat, in veſiculis pulmonum *bronchialibus*, *oxygenium* animæ ſpiritu ductæ, cum *hydrogenio*, quo *diabete* tabentium ſanguis abundare videtur, ſocietatem inire; atque aquam hinc generatam, vaſis

bibulis,

bibulis, quæ in veſiculas patent, abſorptam, in ſanguinem conduci, undè per renes ſeparetur.

Acutum ſanè ingenium perolet hæc opinio; atque, modò accipiamus, exponere haud difficile erit, undè interdum, ſupra potionum ciborumque modum, urina profundatur. Priùs autem, quàm medici judicant, vera, necne, per omnia, ſit hæc opinio, debent, utì monet ipſe auctor, comperiri, quales mutationes quantasque ſubeat aër, qui à *diabeticis* ſpiratur, et pernoſcere, aſſumptiones, necne, comprobent. Interea verò, hac opinione conceſsâ, facillimè explicatur, quomodo excitetur ardor præcordiorum, quo ferme perpetuò vexantur *diabete* marceſcentes.

Sitis, oris fauciumque ſiccitas, itemque ſummæ cutis ariditas, ſunt, quòd ita conſtitutum naturâ corpus eſt, ut, quantò uberiùs humor quilibet aquoſus ſecernitur, tantò cæteri parciùs.

Macies,

Macies, qua conficiuntur *diabete* ægri, partim ex esculentis potulentisque in sanguinem non perfectis, nedum corpus nutrientibus, oritur; partim, ex resorptis adipe et carnibus.

CURATIO.

CURATIO.

Cæteris rei noſtræ partibus abſolutis, reſtat, ut, quibus medicamentis remediisque *diabete* emarceſcentibus ſubveniatur, paucis diſſeramus.

Quum verò pleraque eorum, quibus hunc morbum ſanare medici conati ſunt, parùm, aut omninò non, profuerint, omnia recenſere prorſùs ſupervacaneum eſſet.

Quocirca, nobis in animo eſt, ea tantùm memorare, quæ, ſi morbum non percuraverint, ſaltem aliquantùm levârunt.

Medicamenta, ex iis quæ aſtringunt et comprimunt, *diabete* emacreſcentibus aliquando permultùm opitulantur. Hujus generis efficaciſſima ſunt *ſulphas aluminæ*, et aqua calcis.

Quinimo, eodem morbo emaceratis profunt nonnunquam medicamenta, ex iis quæ roborant, præcipuè *cinchonæ* cortex, et præparata è ferro.

Medicamenta, quæ diximus, itemque alia quædam, haud dubiè *diabeten* fæpe levârunt, atque, ut nonnulli exiftimant, etiam perfanârunt interdum. Verùm plerumque tamen hæc, pariter atque omnia alia, quæ experti funt medici, prorfùs fefellerunt; atque morbus infanabilis videbatur plerifque medicorum, neque profectò immeritò, donec, paucos abhinc annos, Rollo novâ victûs ratione curationem exfecutus fit.

Saccharum, quod magnâ copiâ cum urina mingitur, ex alimento, dum mitificatur et perficitur, generari ratus, Rollo induxit in animum, *diabeten*, modò ægri terrâ natis, ex toto, abftinerent, et carnibus cæforum animalium viverent, cibariisque, quæ fuggerunt viva animalia, percuratum iri.

Hanc

Hanc victûs rationem in duobus *diabeticis* ad ſpem reſpondere ipſe comperit. Unus enim ægrorum percuratus eſt, et alter forſan itidem perſanatus eſſet, ſi ſtrenuè et continenter medici præceptis morem geſſiſſet.

Certior præterea factus hic medicus eſt, ab aliis, qui cum eo conſilia, de *diabetæ* curatione, communicârunt, propoſitam victûs rationem nedum omnibus hoc morbo marceſcentibus plurimùm opitulatam eſſe; ſed aliquos etiam percurâſſe, et forſitan omnes perſanaturam fuiſſe, dummodo, per omnia, haud ſecùs, ac juſſi, feciſſent.

Cùm ſuâ igitur experientiâ, tum eâ aliorum, qui cum eo mutuis ſermonibus, aut per literas, contulerunt, inductus, Rollo ſibi perſuadet, victûs rationem ab eo propoſitam, dummodo in ea ſatìs diù et obſequenter perſeveretur, omnes *diabeticos*, qui cujuſpiam inſuper viſcerum morbo non ſimul laborent, ad ſalutem perducturam.

Dolendum

Dolendum autem eſt, quòd nupera experimenta non expectationi ſatisfecerint, quam Rollo moviſſet. Namque victûs ratio, quam propoſuit, haud rarò, etiam ubi ægri eam perſeverantiſſimè exſecuti ſunt, atque obedientiſſimè imperata perfecerunt, ſpem tamen deluſit. Verùm experientia tamen docuit, brevi plerumque tempore malum urinæ habitum emendare, cæteraque levare mala quæ urgeant, neque, profectò, rarò morbum optatò finire.

Quò hæc victûs ratio reſpondeat, eam, longum in tempus, continuare oportet; neque permittendum eſt, ut ad priſtinam victûs conſuetudinem redeatur, donec à morbo homo revaluerit aliquandiu, ſeque jam confirmaverit; imò, ne tum quidem, niſi gradatim. Quippe enim, ni ab alimentis, quæ ſuggerit tellus, ſatìs diù et perſeveranter abſtineatur, haud rarò accidit, ut morbus, ſicut repulſus

magis

magis quàm exſtinctus, ſubitò et ex improvisò recrudeſcat.

Præter rationem victûs, quam expoſuimus, *diabete* tabentibus aliis ſimul ſubſidiis ROLLO ſubvenit. Iis enim imperat, ut domi ſe interea contineant; ſimulque aſſumenda curat medicamenta, quibus ſedetur edendi rabies. Hunc in finem, iis præcipit, ut adhibeant *ammoniam hepatiſatam*, quæ ſanè, ut periculo compertum eſt, mirâ nervorum vim ſedandi facultate pollet. Incertum autem eſt, an hoc medicamentum rationi curandi, quam propoſuit, ad ſpem ſubſidietur.

F I N I S.